

/ Perillustris et R^{me} Domine. In consistorio proxime praeterito proposita fuit ecclesia Cameneceisis tanta cum laude Amplitudinis vestrae, ut nihil addi posse videretur; commemorata sunt merita, commemoratae virtutes, commemorata doctrina, commemorata
5 prudentia; additum quoque est testimonium insigne regiae maiestatis. Itaque nemo fuit amplissimorum patrum, qui non libentissime Ill^{mo} cardinali à Monte alto relatori assensus sit. Ego vero non solum in communem sententiam descendi propter ea quae dicta sunt, sed multo magis quod à multis iam annis Amplitudinem vestram nove-
10 rim, et ex communium amicorum relatione multa de praeclaris eius virtutibus saepe didicerim. Gratulor igitur R^{mae} Domin. vestrae hoc honoris incrementum; ecclesiae Camenecensi de pastore vigilantissimo, toti regno Poloniae de senatore optimo et prudentissimo gratulor. A Deo vero Amplitudini vestrae precor totam spiritualis
15 gratiae abundantiam, quanta ad opus tam divinum atque arduum necessaria est. Datum Romae die 17 augusti 1607.